



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

VI. Nonnulla expediuntur de infinito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

est. Sed incipiendo ab hac hora non potest fumere infinitas horas nullā interceptā, quin totam aeternitatem assumat, quia ubicumque sinit horarum assumptio terminum habebit, & erit verū dicere, hac est vltima hora assumpta, & illa fuit prima: ergo ab hac hora non potest Deus assumere horas non interruptas, quibus illa Angelorum multitudo correspondeat, qualibet enim multitudo continua horarum, quæ ab vna incipit hora, & non replet totam aeternitatem finita est, quæ non sufficit vt infinita Angelorum multitudinē infinitæ correspondeant. Debet ergo Deus vt illi multitudinē Angelorum horas assignet, quæ ab hac incipiet illas assignare cum aliqua interruptione, quia ex horis interruptis bene potest Deus infinitas assumere, quin totam assumat aeternitatem: si enim Deustertiam quamque horam ex his quas agnoscit defumat, alia intermedia semper relicta, tam hora relicta, quam assumptæ erunt infinitæ, quia neque multitudo horarum, quas Deus assumit, neque multitudo horarum, quas reliquit, aliquam vltimam habebit, neque vna multitudo erit post aliam, neque erit alterius terminus, & hac ratione incipiendo ab hac hora poterit Deus duplicem multitudinem horarum distinctam assignare. Si verò ex hac hora velit duplicem multitudinem horarum non interruptarum mente designare, non poterit vtramque infinitam assignare, quia cum hora aeternitatis sint futura successiue, si hora vtriusque multitudinis non permiscetur, vna multitudo erit adquatè post aliam, cuius multitudinis prima hora erit terminus multitudinis precedentis, & ita multitudo, quæ prius præcedebat terminum habebit à parte post, & cum ab hac inceperit hora, illum habebit à parte antea, & à parte post, & ita vtriusque erit finita.

12 Ex hac doctrina infero pro solutione aliorum argumentorum quæ eandem continent difficultatem, quod si Deus ex omnibus diebus quos videt per aeternitatem futuros vellet certum numerum dierum v. g. viginti dies mente excludere, non posset reliquam multitudinem ab hac die absque vlla dierum interruptione cognoscere. Ratio est manifesta, quia vel cognosceret multitudinē illam, à qua decem dies sunt ablati ab hac die absque vlla interruptione tendere per totam aeternitatem, vel cognosceret non peruenire ad totam aeternitatem, si cognosceret tendere ab hac die per totam aeternitatem: ergo nullus dies ex illa fuit ablati: si cognosceret non tendere vique ad totam aeternitatem, illud, quod restat, & hac dierum series non attingit, erit aeternitas, quia post quemque diem aeternitatis assignatum adhuc restat aeternitas; ergo non solum decem dies aeternitatis sunt ablati ab hac die multitudine, sed quædā integra aeternitas. Secundo si hæc series dierum, quæ ab hoc die incipit, totam aeternitatem non attingit, datur aliquis dies, quem non attingit: ergo ille erit terminus feriei dierum, quia cum tota illa sit absque vlla interruptione, si non includit hunc diem, neque includet alium, qui post hunc existit. Rationem totius doctrinæ claram accipe: vt ego à diebus, quos includit annus decem demptis reliquos omnes absque vlla interruptione assumam incipiens à prima die Ianuarij, necessarium debeo relinquere decem vltimos, & non alios, quia si relinquo aliquos existentes ante decem vltimos, postea vel assumo dies illos, qui sunt post decem relictos, vel non. Si non illos assumo iam non tantum relinquo decem dies, sed decem & alios, qui sunt post illos. Si illos assumo: ergo iam non assumo dies omnes distinctos à decem, quos relinquo absque vlla diuisione interceptos, sed interruptos decem diebus relictis. Ex hoc infero, quod si essent assumendi dies omnes, qui ex hac die erunt in aeternitate absque vlla interruptione decem tantum relictis, & assumptio dierum ex hac die esset inceptura, relinquendos esse decem dies vltimos, post quos nullus alius esset, & cum in aeternitate non sint aliqui dies vltimi, post quos alij non sint, fit non posse incipiendo ab hoc die recenseri sine vlla interruptione dies omnes ab hac die futuros per aeternitatem decem tantum demptis, sed dies absque hoc recensendos absque interruptione debere esse omnes, qui in aeternitate erunt, vel debere relinqui infinitos non recensitos, & recensitos omnes esse finitos, quia habent primum, & vltimum. Hanc observa doctrinam, pro pluribus argumentis, quæ fieri possunt, contra infinitum permanens & præcipue successiuum, quæ ex illa facile soluentur, & non sine maxima mei scribentis, & tui legentis molestia possent hic adduci. De-

Franc. de Ouedo, Phil. soph. T. m. 1.

ficiet enim aeternitas argumentis, quæ contra aeternitatem, & contra quodlibet infinitum possunt adduci.

PUNCTUM VI.

Nonnulla expediuntur de infinito.

Definiendum est an vni infinito possit aliquid addi, vel detrahi, an sit capax augmenti, an possit dici maius, vel minus, æquale vel inæquale respectu alterius. Plerique hæc disputant antequam naturam infiniti, & possibilitatem, aut repugnantiam illius vt existentis definierint, ex quo fit ipsos confundere repugnantias, quas includit subiecti existentia, quam supponunt, illisque vt ad probandum nullam ex his proprietatibus infinito competere posse. Statuendum est vt ordinatè procedat disputatio, quodnam infinitum existat, vel existere possit, & de illo inquirendum an capax sit proprietatum, de quibus procedit disputatio. Vel si velimus disputationem hypotheticam facere, debemus supponere infinitum existere, etiam si repugnet, & deioris repugnantis, quas diceret illa existentia, inquirere, an alia noua assurgeret ex proprietatibus, quas inquiremus.

Dico primò. Infinita multitudinē Angelorum potest addi & adimi alia multitudo finita, aut infinita. Probo clarè: In multitudine infinita Angelorum sunt infiniti binarij: ergo si mente Deus adimat vnā vnitatem à quocumque binario permanebunt infinitæ vnitates: ergo illis ablati adhuc maneret multitudo infinita. Neque dicere potes Deum non posse adhuc mente præscindere singulas vnitates à singulis binariis, quia hoc non repugnat ex connectione entitatum inter se, quia quilibet Angelus, ex his, quos claudit hic binarius, est independens ab alio in esse & cognosci, potuit enim Deus supposita creatione cuiuscumque alteram non creare, neque repugnat ex natura infiniti, quia ex eo quod multitudinē infiniti repugnaret illa separatio, non fieret non posse Deum illam exhibere, sed illa exhibita infinitam multitudinem esse extinguendam, sicuti ex eo quod à numero binario non possit demi aliqua vnitates, non fit Deum non posse demere vnitatem ab illa multitudine, quæ denarium perficit, sed demptā illā vnitatem non permanere denarium, ac probauit demptā vnitatem à quocumque binario incluso in multitudine Angelorum manere vnitates infinitas & multitudinem infinitam: ergo non est contra rationem infiniti vt sic, ab illo aliquid adimatur, neque consequenter vt illi aliquid addatur, quia potest illi restitui, quod demptum fuit, vel potuit creati sine illo, quod illi postea ablatum, illudque acquirere in mensura, in qua fuit ablatum, aut in alia posteriori, quod esset propria infiniti additis.

Addit P. Fasolus dub. 4. num. 3. infinitum esse capax multitudinis quatenus est finitum, non verò quatenus est infinitum. Id ego perciperem, si P. Fasolus loqueretur de infinito extensionis, quod versus vnā partem infinitam extensionem haberet, & non versus aliam, in infinito vero multitudinis Angelorum, in quibus nullus est ordo, id ego non percipio, neque scio, quomodo potest addi illi multitudinē, nisi quatenus est infinita, cum ipsa si tota sumatur vnitates infinitas semper includat. Hanc diuersam acceptionem infiniti quatenus est finitum, & quatenus infinitum est, explicat doctus Fasolus dub. 3. num. 8. his verbis: *Etiam cum quodlibet infinitum nihil aliud sit, quàm vnitas infinitis replicata, & consequenter quodlibet infinitum replicatum infinitis est impossibile dari aliquod infinitum, in quo non sint assignabiles partes finitæ, & partes infinitæ: unde oritur, vt quodlibet infinitum considerari possit, aut debeat & quatenus finitum, & quatenus infinitum: quatenus constat partibus formaliter vt infinitis, est infinitum, quatenus constat partibus formaliter finitis est finitum.* Hæc sunt Fasoli verba, quid rei habeant videamus. Continuum constat partibus finitis, & infinitis, & nihil aliud est, quàm vnitates infinites reperiæ vt doctè docet Fasolus, ita tamen constat partibus finitis, & infinitis, vt finitæ partes includantur in infinitis, quibus constat infinita multitudo, & ita constat his partibus finitis inclusis in infinitis, vt partes finitæ per se solas quatenus distinguuntur ab aliis non possint constituere adquatè multitudinem infinitam, neque illa multitudo infinita, seu illud infinitum possit

cc 2

possit

possit constare partibus tantum finitis, ut per se notum est. Deinde certum est, partes illas, quæ in multitudine sunt infinitæ, & totum infinitum quatenus infinitum componunt consideratas distributivè, & seorsim sumptas esse finitas, hoc est, illarum quamlibet finitam esse. Ex his examino propositionem illam Fasoli infinitum consideratum quatenus constet partibus, ut formaliter finitis finitum est. Illud ut formaliter finitis, dicit ut formaliter in multitudine finitis vel ut formaliter quælibet illarum partium est finita: si dicat ut formaliter quælibet illarum seorsim sumpta est finita, falsa est propositio, quia infinitum ut formaliter infinitum constat unitatibus infinitis repetitis, quarum quælibet est finita, non enim potest aliter infinitum, ut infinitum constitui, nisi per partes quarum quælibet sit finita. Si dicat quatenus constet partibus formaliter finitis in multitudine, vel dicit quatenus adæquatè constet partibus hoc modo finitis, vel quatenus inadæquatè constet ex illis, hoc est ex illis, & ex aliis infinitis. Si dicat quatenus adæquatè constet ex illis finitis præcisè sumptis, nego suppositum, infinita enim multitudo non potest considerari sub nullo respectu constans partibus finitis sumptis præcisè, id enim, quod ex illis constat præcisè non est infinitum, sed pars quædam finita inclusa in infinito. Si dicat quatenus constet partibus finitis, & aliis infinitis, ex quibus essentialiter constat multitudo infinita, & sine quibus sub nullo respectu potest cognosci, nego sub hac ratione multitudinem illam esse finitam, sed infinitam, quia quæcumque multitudo infinita assignata formaliter constat ex hoc millenario finito in illa incluso, & ex aliis unitatibus infinitis, quæ simul cum millenario componunt hoc infinitum.

4. Infinitum secundum extensionem quantitativam dari nequit, ut supra dixi: quod si daretur vel esset infinitum unde quaque, vel infinitum tantum versus unam partem: si esset infinitum unde quaque addi non posset, quia additio debet fieri per extensionem ad aliquod spatium, quod antea non attingebat: cum autem nullum deberet esse spatium, quod infinitum non attingeret, aliis illo terminaretur spatium, quod occupat, & infinitum non esset, nullum esset spatium, in quo posset fieri additio. Quod si intendas probare futurum esse spatium, quod illud infinitum non attingebat, in quo additio fieri posset, destruis suppositum, videlicet corpus illud occupare infinitum spatium, quia eo ipso, quod probes dari aliud spatium ultra illud, quod occupabat corpus, probas spatium occupatum esse finitum: vel ergo non supponas existere infinitum, vel illud iam suppositum non impugnes. Si corpus esset finitum versus unam partem, & infinitum versus aliam: v.g. si daretur linea, quæ ab hoc puncto inciperet, & versus Orientem in infinitum procederet, esset infinita, non posset addi versus illam partem, quæ est infinita, nec incrementum recipere. Prior pars conclusionis in præcedenti continetur. Posterior suadetur facili: primus palmus lineæ, qui vnitur secundo, eodem modo se habet siue secundus vnitur tertio siue non vnitur, sed si secundus non esset vnitus tertio, & tertius quarto, & sic in infinitum posset vniri alij palmo versus illam partem, quæ terminum habet: ergo etiam quando talem vnionem mediatam habet cum aliis palmis poterit versus illam partem, quæ est finita alij palmo vniri. Secundo si à linea, quæ incipit ab hoc puncto spatij A, præcederetur primus palmus, maneret infinita: ergo non est contra rationem infiniti, ut ab illo aliquid detrahatur: ergo non erit contra illius rationem ut aliquid illi superaddatur. Recognosce dicta supra de additione, & detractione infiniti secundum numerum.

5. Obiic. recentiores: si linea, quæ incipit ab hoc puncto, & tendit versus Orientem posset addi palmus quantitatis postquam haberet illum palmum posset incipere ab eodem puncto: tunc vel occuparet aliquod spatium versus Orientem, quod antea non occupabat, vel idem indiuisibiliter occuparet. Si dicas idem occupare, teneris componere quomodo eadem linea cum hoc palmo quantitatis, & sine illo idem spatium occupet: si occuparet maius spatium: ergo antea non occupabat spatium infinitum. Ut primum hanc obiectionem legi, decreui prius tractare an posset dari infinitum, & postea an posset addi, ne difficultates confunderem. Hoc argumentum procedit contra infinitam extensionem lineæ, non contra illius additionem, quod manifestè ostenditur, quia idem omnino argumentum conficiet si singas, vel supponas eandem lineam sine

aliqua additione incepisse ab alio palmo magis immediato orienti, quam iste, à quo incipit, & ob hanc rationem, aliisque huiusmodi nego lineam infinitam infinitè extensam, quam non posse dari probat obiectio, non verò non posse addi ex suppositione, quod derur. Eodem modo philosophandum est de infinito, secundum temporis extensionem, seu de motu successivo infinito, qui ab æterno, vel in æternum procederet, qui addi non posset versus partem, quæ esset infinita, bene tamen versus illam, quæ terminum haberet: quapropter si vtrique esset infinitus, versus nullam partem posset illi aliquid addi, neque detrahi portio aliqua finita, saluà immediatà à successione partium, quæ superesset. Si roges cur infinitum secundum multitudinem non possit addi formaliter quatenus infinitum, & non possit additionem recipere infinitum secundum extensionem temporis, & loci, opportunitatem reddam discrimen. Nulla extensio potest addi, neque in ordine ad spatium loci, vel temporis, nisi per acquisitionem noui termini, & ratione vltimæ superficiei, cui alia pars corporis adiungitur, vel quæ ad nouum se extendit spatium, quia cum extensiones dicant partes cum successione & diueris spatiis occupent, non potest dari noua pars extensionis sine nouo spatio acquisito, quod antea non erat, quod esset immediatum spatio antiquo, & esset illius terminus, qui terminus infinitus repugnat. Multitudo verò cum unitates coaceruatas dicat sine ordine prioris, aut posterioris, & non habeat aliquam partem, versus quam sit augenda ex suppositione quod augeatur, non eo ipso quod augeri possit terminum habet, & ideo ex eo quod illi terminus repugnet, eidem non repugnat augmentum.

Affirmo similiter omne infinitum eo ipso, quod augmentum recipiat, fieri maius non mensurabiliter, ita ut totum valeat mensurari, quod maius formaliter dici solet, sed immensurabiliter secundum rationem totius quatenus includit augmentum, & illud, quod augmentum recipit. Ratio Durandi quam refert Fasolus dub. 4. num. 4. est per se nota: omne illud, quod continet aliquid cum aliquo alio est plus illo; sed infinito potest fieri additio: ergo fiet facta additione plus illo, cui fit additio secundum totum illud, quod importat additio. Responder Fasolus additum augere illud, quod est capax augmenti, non verò illud quod incapax est, ut augeatur: & ita additum non augere infinitum, quia hoc non potest augeri. Exemplum additæ de quantitate addita indiuisibili, quæ illud non facit maius; de sapientia finita, quæ addita infinitæ non facit maiorem sapientiam. Exempla non probo, & solutionem impugno. Non probo exempla, quia ex sapientia creata, & increata, non fit vna sapientia, & ita augeri non potest vna ex vi alterius, augeri enim est acquirere partem vnitam ex vnione, quam dicit totum constitutum vnione physica, si totum sit physicum, & vnione morali, seu aggregationis, si totum sit morale, seu aggregatum. Et ita cum nullo modo totum constituantur sapientia creata, & increata, nisi quatenus numerum dualem constituent, ita sapientia creata non augeatur, nisi forsitan dicas augeri secundum illam rationem extrinsecam numeri, quam constituit cum sapientia creata, quod augmentum est extrinsecissimum, & sapientiam increatam omnino eandem relinquit, neque adhuc hoc modo augeatur secundum rationem sapientiæ increatæ, quia illa sapientia, quæ illi adiungitur, & illi quasi extrinsecè vnitur in ordine ad existentiam tantum, non est sapientia increata, sed creata. Exemplum de quantitate etensâ addita puncto eiusdem extensionis cum præcedenti, in opinione enim Arist. in qua procedit Fasolus, punctum neque extensionem habet, neque illam potest fundare, cuiusque enim adhæreat penetratur. Vnde cum illi extensio adiungitur non additur extensioni extensio neque fundamentum extensionis. Vnde mirum non est non fieri maiorem extensionem, augmentum enim cuiuscumque rei consistit in additione partis eiusdem rationis cum toto præcedenti, cui additur. In opinione Zenonis, quæ continuum componit ex indiuisibilibus, quorū quodlibet aptum est fundare extensionem, linea addita puncto quoddam totum maius constituit. Hæc de exemplis venio ad solutionem. Rem esse capacem augmenti nihil aliud est, quam esse capacem constituendi totum, quod includat rem augendam, & partes alias eiusdem rationis cum illis quibus ipsa constat, sed multitudo infinita est capax constituendi multitudinem, quæ includat eandem multitudinem, quæ supponitur, & partes alias eiusdem rationis cum illis,

illis, ex quibus componitur, videlicet alias unitates eiusdem rationis cum illis, ex quibus tanquam ex primis elementis constat prima multitudo infinita: ergo est augmenti capax. Si maiorem neges, dicito, quid sit aquam, ignem, hominem, & equum augeri, nisi sibi vni partes alias eiusdem rationis cum illis, quibus constabat totum illud, quod augeri dicimus, neque alio modo Philosophi de augmentatione disputantes illius naturam explicarunt.

7 Communitur Philosophi negant aequalitatem inter duo infinita, quia aequalitas dicit mensurabilitatem, & cum infinita non possint mensurari, hinc est, quod aequalia esse non possint. Ita fert communis sententia, verumtamen quis dicit in infinito hominum non esse tot oculos dextros, quot sinistros, non esse tot manus quot pedes, tot capita, quot corpora in infinito Angelorum, quorum quilibet habet vnum gradum gratiae, non esse tot Angelos, quot gratiae gradus, & alia huiusmodi. Sentio aequalitatem definendam esse duorum mensurabilium commensurationem, ita ut duo requirantur ad aequalitatem, & quod quodlibet extremum in se sit mensurabile, & quod vnum alteri commensuretur. Hæc secunda aequalitatis proprietas poterit vni infinito respectu alius competere, ut exempla adducta convincunt, non prior, quia quodlibet infinitum secundum se est incommensurabile, & ita ex defectu huius non datur propria aequalitas inter extrema infinita, dicitur illa, commensuratio ipsorum, quam aequalitatem negativam multi appellant. Multa argumenta vidi apud recentiores, quibus has infiniti proprietates impugnare intendunt, verumtamen omnia eo immediatè tendunt ut infiniti repugnantia suadeant, pleraque illarum solui, & alia ex doctrina tradita faciliè solui poterunt: huiusmodi sunt plura, quæ petuntur ex positione rerum infinitarum cum ordine prioris, & posterioris in ordine ad locum, quam positionem dixi repugnare, quia repugnant corpora infinita non penetrata, & ex illorum extensione absque illa penetratione inferuntur absurda, quibus nos impetunt aduersarij. Eadem ratione respondendum, si Angeli in diversis spatiis collocentur, eadem enim ratione, propter quam repugnat poni infinita corpora in spatiis adæquate distinctis, repugnat poni infinitos Angelos in eisdem spatiis.

PUNCTUM VII.

An Deus possit producere creaturam omnium possibilium perfectissimam, item & imperfectissimam.

1 Inquiri præfixus titulus, an Deus possit producere creaturam aliquam ita perfectam ut non possit aliam perfectionem producere, & an possit creaturam ita imperfectam efficere, ut non valeat aliam imperfectiorem facere. Difficultatem trado de perfectione specifica, & suppono ad præsentem questionem, claritatis gratia, omnia individua eiusdem speciei esse perfectione aequalia, quod enim definitum fuerit de perfectione omnium specierum poterit applicari perfectioni individuorum vnius speciei in opinione, quæ individua inæqualia intra eandem speciem constituit: loquor de creatura omnium perfectissima negatiuè, hoc est, quæ non possit ab alia excedi secundum perfectionem, quod moneo propter eos, qui admittunt posse dari duas species distinctas æquè perfectas, secundum quam sententiam faciliè defendi poterit, non posse dari aliquam speciem omnium perfectissimam, quia non poterit dari species ita perfecta, quæ non possit habere aliam speciem perfectione sibi æqualem, licet nullâ perfectione excedi possit. Moneo insuper eodem modo tractandam esse questionem de specie omnium perfectissima, & de specie imperfectissima ne tamen multiplicatione terminorum res confundatur, loquor tantum de specie perfectissima, de qua communiter Doctores disputant, & quod de illa definiam, tu speciei imperfectissimæ applica.

2 Pater Arriaga disp. 13. sect. 3. sequutus Aureolum in 1. dist. 44. quæst. vnica art. 4. & Durandum in 1. dist. 44. q. 2. Baconum in 1. dist. 44. q. 1. art. 2. docuit Deum posse producere creaturam ita perfectam ut non possit aliam perfectionem producere. Oppositam sententiam, quam amplector defendit P. Fasolus disput. 1. n. 4. sequutus D. Thom. q. 1. de potentia art. 2. ad nonum, eandem defendunt plures Thomistæ apud eundem Fasolum, pro qua est egregium testimonium D. Dionysij de diuinis nominibus c. 8.

Franc. de Guiedo, Philosoph. Tom. 1.

circa princip. Dicamus (verba sunt Dionysij) Deum infinita vi, ac potentia præditum non solum quod vim omnem in lucem proferat, sed etiam quod omnem quoque vim ipsam multum superat: quodque possit etiam infinite infinitas alias potentias, præter eas, quæ sunt in lucem proferre, neque vquam potentiam infinitæ, & infinite in lucem probata, effectiorem potentiarum effectiuis eius potentia, quæ omnem infinitatem superat obscurare, & obruere possint. Ratio adducta à Sancto Thoma hæc est: Quicumque creatura supponatur producta, quantumvis perfecta sit, infinite distat à Deo: ergo poterit alia perfectior excogitari media inter illam creaturam, & Deum, quæ creaturam iam productam perfectione exuperet, & maneat longè inferior Deo: ergo non repugnat creati illa creatura. Hac creata idem argumentum fiet, & sic in infinitum procedetur. Confirmatur eadem conclusio à paritate numeri, qui semper potest in infinitum crescere, & quocumque dato restat alius possibilis maior, ita ut implicet aliquid numerum omnium maximum excogitari, & nihilominus totum hoc numerorum augmentum est intra lineam finitæ multitudinis: ergo eodem modo poterit de creaturarum perfectione philosophari. Accedet his argumentorum solutio, quæ in similibus questionibus est omnium optima ratio.

Obiicit Arriaga: Non est repugnantia in eo quod Deus producat creaturam omnium perfectissimam: ergo poterit illam producere. Inito ergo non est repugnantia ut producta quacumque creatura, quantumvis perfectam illam consideres, Deus perfectiorem aliam producat: ergo poterit illam producere. Resp. esse repugnantiam in eo quod creetur illud quod non est in statu possibilitatis, & in statu possibilitatis nullam esse creaturam omnium perfectissimam, sicuti in numeris possibilibus non est aliquis omnium maximus, & ita est repugnantia in eo, quod Deus producat creaturam omnium perfectissimam. Addo argumentum sumptum ex non repugnantia, non Arriagæ, sed mihi fauere, qui omnipotentiam Dei propugno, & extensionem possibilitatis defendo, quæ tantum repugnantia terminatur. Est enim questio an supra quamcumque creaturam quantumvis perfectam possibilis sit perfectior alia, quam Deus possit producere.

Obiicit secundò Arriag. In hac collectione omnium creaturarum possibilium non omnes species exceduntur: ergo aliqua est, quæ non exceditur. Antecedens probat: si omnes excederentur essent plures excessus, quam excedentes, hoc fieri nequit: ergo non omnes exceduntur. Antecedens suadet incipiendo ab homine: species hominis exceditur & non excedit, reliquæ omnes excedunt, & exceduntur: ergo incipiendo ab homine species excessus sunt vna amplius speciebus excedentibus. Insuper non est vna amplius, quia quilibet, quæ exceditur habet aliam excedentem: ergo tot sunt excessus, quot excedentes. In flagranti fallacia de teo: quilibet excessus habet excedentem, distinguo: excedentem tantum, nego: excedentem, & excessum, cōcedo: deinde nego consequentiam, quia si incipio numerare ab homine & per Angelum (pono modo speciem Angelum esse immediatam homini) ad alias species ascendendo, annuero duas species excessus Angelum & hominem, & vnam excedentem, videlicet Angelum, & eadem proportionem procedo connumerando simul unitatem aliam excedentem & excessum supra duas excessus, & vnam excedentem, & ita semper excessarum numerus vincit vnica unitate excedentem numerum. Negandum ergo est illud antecedens, videlicet non omnes species distributiue sumptas excedi, hoc esse aliquam non excessum, & respondendum est prædicto modo ad contradictoria quæ intendebantur inferri. Idem omnino argumentum fit in numeris, potest enim inferri eadem fallacia ex eo quod omnes excedantur esse plures, & non esse plures excessus excedentibus.

Obiicit tertio Arriaga. In collectione omnium creaturarum possibilium est summa propinquitas cum Deo, quia extra illam collectionem non potest excogitari aliqua creatura, quæ sit vicini Deo: sed hæc propinquitas non potest conuenire collectioni ratione omnium specierum, neque ratione duarum, quia ex duabus imperfectior non habet summam propinquitatem cum Deo, quia perfectior altera propinquior est: ergo debet illi conuenire ratione vnius speciei: ergo illa erit summè propinquior Deo, & perfectissima omnium possibilium. In numeris idem argumentum conficis prorsus eodem modo. In tota collectione numerorum possibilium est summa propinquitas cum multitudine infinita

C c 3 infinita